



The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **LIMANAE - TRUXILLENSIS *** HUARAZENSIS
DIOECESIS ATQUE PRAELATURA HUARIENSIS A PROVINCIA ECCLESIASTICA LIMANA DISTRAHUNTUR ET AD
TRUXILLENSEM ASCRIBUNTUR. Apostolicum officii Nostri munus, quod religiosissime tueri studemus,
id quandoque a Nobis postulat ut, ad maius Christi fidelium bonum persequendum,
ecclesiasticarum circumscriptionum ordinem mutemus easque ad nostri temporis adjuncta et
necessitates aptius accommodemus. Sententiam ideo accipientes venerabilis Fratris Romuli
Carboni, Archiepiscopi titulo Sidoniensis et in Peruviana Republica Apostolici Nuntii, postque
auditos locorum Ordinarios ad quos negotium pertineret, ea quae sequuntur decernimus.
Dioecesim Huarazensem atque praelaturam Huariensem, adhuc suffraganeas metropolitanae
Ecclesiae Limanae, eorumque sacros Praesules metropolitano iuri Archiepiscopi Truxillensis in
posterum subdimus, mutatis scilicet ecclesiasticarum provinciarum Limanae et Truxillensis finibus.
Quae autem iussimus ut ad exitum adducantur curet venerabilis Frater Romulus Carboni, quem
diximus, vel ab eo delegatus vir, dummodo sit ecclesiastica dignitate indutus. Qui vero rem
perfecerit, congrua documenta exaranda studeat ad Sacramque Congregationem Consistorialem
quam primum mittat, de more signata sigilloque impressa. Hanc vero Constitutionem nunc et in
posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum
res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla,
cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus.
Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin
immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum
viri preferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint
subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur. *Datum Romae,*
apud S. Petrum, die tricesimo mensis lunii, anno Domini millesimo nonagesimo sexto, Pontificatus Nostri
quarto.

IACOBUS A. card. COPELLO

S. R. E. Cancellarius

CAROLUS Card. CONFALONIERI

S. Congr. Consist. Pro-Praefectus

Franciscus Tinello

Apostolicam Cancellariam Regensloannes Calleri, Protonot. Apost.

Eugenius Sevi, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LIX (1967), n. 3, pp. 204-205 © Copyright 1966 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana